

penderent. Oborta mox difficultate , annuo vectigali obstri-
ctos Polonos esse Turcis dicentibus ; contra Polonis , annua-
rantum pensioni se obnoxios , contendentibus ; protractum
negotium est , non absque suspicione , ni majoribus curis
implicatus Turca fuisset , ne tandem belli turbo in Sarma-
tiam sese effunderet .

At Henrici Galliae Regis , Anglæque Reginæ legati in Hi-
spanos Amurathem incendebant ; illorum nimium sese effe-
rentis potentia deprimendæ occasionem adesse ; Hispaniæ li-
tora , Bæticæ præsertim & Lusitaniæ præsidiis nudata ; Lusita-
nos nondum Antonii Regis oblitos , in omnem occasionem
ad Castullonensium jugum excutiendum intentos ; Hispanos
vires omnes in Belgium & Galliam contulisse . Neque vero
minori solicitudine Cæsar detinebatur : licet enim Cracovicium
oratorem cum muneribus ad inducias renovandas , concor-
diæque leges pro Pannoniæ regno firmandas Byzantium mi-
sisset ; Sinanes tamen Hungariæ Bassa ingentem incolarum
manum in Croatia immiserat , quæ ferro , igne , direptione
vicos aliquot depopulata , Canisiam usque , tutissimum ejus
provinciæ propugnaculum , se intulerat ; quibus Nadaftius ac
Sumaschius , peditatu atque equitatu , quanto maxime poten-
rant , coacto , obstiterant . Harum rerum causas cum Turcæ
in ministros rejicerent , querelas in Uscochos addebat ; ter-
ra marique innumera ab ea gente sibi damna inferri ; mer-
cimonia diripi ; Ottomano imperio subjectos , Adriaticum
mare negotiorum causa percurrentes necari . Quapropter sæ-
pius a suis Amurathes excitabatur ; ut , in Perside jam firma-
tis rebus , armis Cæsarem aggredieretur : cui sententiæ insitum
in Ottomanis Regibus Viennæ potiundi desiderium adstipu-
labatur , quod ea civitas aditum ad Germaniam præberet .
Hæ suspicionum causæ Cæsari erant .

Venetias vero crebris Byzantio literis nuntiisque afferebatur ,
præpotentem classem Turcas emissuros ; in navalibus sedulo exæ-
dificandis vel sarcendi navigi tempus impendi ; pecuniam col-
ligi ; nauticum panem aliaque ad classem instruendam , hippagi-
nes ad equos trajiciendos , tormenta ad muros dejiciendos compa-
rari : ex quibus , ne Amurathes cristianorum Principum dissidiis
incitatus , tot apparatus in Reipublicæ maritimas ditiones effun-

*Gallus &
Anglus le-
gati Turcas
contra His-
panos conci-
tans .*

*Croatia &
Sinane
Hungarie
Bassa inva-
ditur .*

*Venetorum
suspiciones
de Turca-
rum armis .*